



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**


Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

1 Aprilis. Kalendis Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)



ANNI CÆLESTIS

APRILIS.

1 Aprilis. Kalendis Aprilis.

S Walerice, puer pastor, & hortulane, qui erucas oratione fugasti; securas aves, ad manus tuas advolantes, pavisti; coram quo fœda locuti Sacerdos, & Præfectus, ille oculis captus est, hic fœdo morbo contabuit. Age, ut quicquid loquor, cogito, facio, ne purissimos omnia videntis, & audientis Dei oculos offendat; ut vivam, & moriar in Deo, coram Deo, propter Deum. Amen.

S. Theodora M. Sancti Hermetis Martyris soror.

S. Venanti Ep. M.

Sancti Victor, & Stephane, MM.

Sancti Quinctiane, & Irenæ, MM.

S. Macari, pro sacrarum imaginum cultu exul.

S. Hugo Episc. quem, necdum natum, mater videbatur sibi videre ferri à S. Petro, aliisque Sanctis in cælum: qui per omnem vitam

temptatione blasphemiarum, ad mortem
 usque, semper victor, vexatus es: cum
 S. Bruno, ejusque socii, sub septem
 stellarum specie, sunt ostensi: qui
 aliquando, licet æger, Orationem
 Dominicam, intra noctem unam
 trecenties recitasti; deinde (exem-
 plo patris tui, in ætate extrema
 S. Brunonis disciplinæ addicentis)
 cum Carthusianis absconditus, in
 sancto silentio latuisti, omnium
 grande exemplum. doce et me tace-
 re, atque orare.

S. Irene, quæ æternos ignes me-
 morans, postea Dei gloriam, &
 psalmos, lætâ voce, & vultu can-
 ens, combusta es.

OMNES SANCTI, quos felici
 morte defunctos, hodie felici æter-
 nitate donavit Deus.

Omnes Sancti mei nominis, &
 meæ patriæ, ac Patroni mei men-
 strui omnes.

Omnes Sancti nationis, & con-
 ditionis meæ.

Omnes Sancti, quibus sacra est
 illa, quæ mihi nascenti prima fuit
 dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est
 illa, quæ mihi morienti ultima erit
 dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei;

vos potissimum, qui in hac vitâ
 maximè excelluistis in amore Dei:
 tûque, Ô MARIA, Mater agoni-
 zantium, orate pro omnibus, hodie
 nascentibus, & hodie in agone su-
 premo periclitantibus: impetrate
 mihi à Crucifixo J E S U felicem
 mortem, beatam æternitatem. A-
 men. Credo, spero, amo, adoro te,
 pulcherrime, ac optime, super o-
 mnia, Deus meus! & idè de pec-
 catis meis doleo; ac desidero plus
 dolere, & confiteri. Doleo super
 omnia; quòd te tam ingratus of-
 fenderim, Deus meus, & omnia! In-
 gratiarum actionem, & satisfactio-
 nem, offero tibi hujus diei, & vitæ
 meæ totius, actiones, atque mo-
 menta singula, conjuncta omnibus
 lacrymis pœnitentium Sanctorum,
 omnibus guttis lacrymarum, &
 Sanguinis J E S U, omnibus meritis
 J E S U, MARIÆ, & omnium Ele-
 ctorum tuorum: ut te videre, ac
 amare, unà cum illis, & unà tecum,
 merear in æternum. Amen.

S. MARIA, *cujus honori, hoc die,*
dedicatum est cœnobiũ Montis An-
gelorum, in quo auditus fuerat con-
centus canentium Angelorum. Impe-
tra mihi, ut te purè laudem; idque non
voce tantum, sed è Angelico lingua,
cordis,

cordis, morumque concentu!

S. MARIA, quæ Hugoni Abbati
(tùm Novitio) tentato, ac sub tuo
præsidium confugienti, unâ cum Christo,
nunc afflicto, nunc gratiâ pleno, ad
fuisti, ac dixisti: Viriliter age, & con-
fortetur cor tuum in Domino: &
certus esto, te deinceps talibus tenta-
tionibus non pulsandum. *Adp.*
et mihi: doce me sub tuum præsidium
ita confugere, ut vincam!

2 Aprilis. 4 Nonas April.

SANCTE FRANCISCE DE PAULÂ, humi-
litate, virginitate, juratis corpo-
ris afflictationibus, fundato reli-
gioso Ordine, trajecto super pal-
lium, unâ cum socio, freto Sicilia
contemptu respectuum humanor-
um, prophetiis, miraculis, MARIA
amore mirabilis, amabilis; super
quem globo igneo inscripta Charitas,
tessera cordis tui, descendit
caelo. Experiar utinam et ego illos
tuos ignes, etiam erga me explic-
tos. Certè si viveres, & morientem
mihi adesse posses, omni me ope
juvares ad sanctam æternitatem.
Nunc potes: juva. Descendat
etiam in me è caelo, & accendat, ex-
tinguat, consumat, consummet me
char-